Congregatio instituatur, per quam S. D. N. iuuet Germaniam in spiritu Apostolica mansuetudinis, ac veritatis Orthodoxa in Christo Iesu ad maiorem Dei omnipotentis gloriam.

Necessitatem congregationis metiri possumus ex interitu aeterno tot animarum, ex calamitate nationis clarissimae ex S. D. N. obligatione. &c.

Tempus opportunum ex electione tam pij, tam sapientis, tam mansueti Pontificis, ex sectis, et pugnis mutuis haereticorum; unde pax Ecc. consequitur, ex pace Christianorum principum ex spe concepta a pijs omnibus.

Ad congregationem Cardinales eligentur, qui pietate, sapientia, dignitate sint excellentes, quibus congregatio adiungatur ex selectis Iureconsultis, et Theologis, qui congregationi sint a consilijs.

Iurisdictio nulla erit congregationis ordinaria, sed summa auctoritas et gratia apud S. D. N. et omnes status Ecclesiae, quod efflagitat negocij magnitudo, et difficultas.

Ministeria congregationis.

Primum ut curet Concilium oecumenicum celebrari.

Reformationem item universalem expedire efficaciter.